

facit, imprudens et invitus id facit, et ad extremam suam prodit malitiam. Pro ignoranter enim Græce est ἐν λήθη, id est in oblivione, id est ignoranter, imprudenter, inscius. Ita Romana. Alii legunt, ἐν λύπη, id est in tristitia, hoc est, tristis et invitus. Tigurina utrumque conjunxit; Complutenses legunt, οὐκ ἐκεί, id est, non volens. Noster legit hæc duo, scilicet, ἐν λήθη καὶ οὐκ ἐκεί; unde vertit ignoranter et non volens; Syrus vertit, si accidat quod benefecit, deceptione deceptus est. Quocirca Isocrates ad Demonicum apposite de avaris dixit, εὐς χάριτας ἀχαρίτως χαρίζεσθαι, id est gratias sine gratiis gratificari et exhibere. Unde et Soerates censuit, « nec a mortuo petendum esse beneficium, nec ab avaro beneficium. Nam mortui aut non respondent aut lædunt; ita avarus aut non dat quod rogatur, aut infeliciter cedit accipienti, quod datur animo invito et inimico. » Hinc et dicas, quod de Polyphemo dixit Æschylus in Cyclope :

Vini liquorem perdidit infusa aqua.

Atque in eum exstat proverbium: *Capra Scyria*; sicut enim hæc mulctrum, quod mulgendo lacte implevit, evertit, sic avari beneficium miscendo maleficio vitiant et evertunt: nihil enim dant nisi cum onere et spe lucri. Unde Aristoteles, lib. II *Ethic.* cap. vii: « Avarus, inquit, in accipiendo nimius est, in dando pareus. » Hinc avari symbolum est accipiter, cujus indoles est accipere et rapere alias aves. Unde S. Chrysostomus, homil. 46 in *Matth.*, Pharaonem avare imperantem Hebræis, vocat accipitrem; et Comicus rapaces causidicos vocat *accipitres pecunie*. Sic hodie videmus multos dare eleemosynam, non sponte et liberali animo, sed verecundia, aut metu, aut fraude, aut importunis pauperum precibus et clamoribus adactos. Qua de re illustre in Vita S. Joannis Eleemosynarii exstat exemplum Petri Publicani, sive Telonarii, qui cum avarus avare projecisset panem in caput pauperis importune petentis eleemosynam, mox correptus morbo in exstasi raptus ad tribunal Christi, vidit se accusari a dæmonibus de multis delictis, et nihil habere meritorum quod iis opponeret nisi panem jam dictum; quare audisse ab angelis: « Recedens adde huic pani, et operare. » Quo viso mutatus in alium virum, ex avaro factus est liberalissimus, adeo ut omnia sua, et tandem seipsum, in pauperes expenderit. Simile accidisse Troilo Episcopo, qui per visionem cælestem ex avaro factus est eleemosynarius eximius, ibidem cap. xv. i narrat Leontius.

8. NEQUAM EST OCLUS LIVIDI, ET AVERTENS FACIEM (ab inope et indigo), ET DESPICENS ANIMAM SUAM, — *g. d.* Malignus est oculus lividi, id est invidi, puta avari, ideoque avertit faciem et oculos, ne videat, vel alienam miseriam, cui cogatur succurrere, vel opes suas miseris dari. vel

ab eis consumi; ne videat, inquam, pauperes ex pane et cibis suis comedentes: imo ipse despiciat animam suam, quia, uti jam dictum est, non succurrit ejus necessitati, sinitque eam fame confici, vel miseriis tabescere. Loquitur de oculo corporali, sed sub eo intelligit oculos mentis: uterque enim nequam et malignus est invidio. Alludit ad etymon invidi. Dicitur enim invidus quasi non videns, vel invite videns, eum, scilicet, cui invidet; idem hebr. vocatur רע עינים *ra enaim*, id est, malus oculus, quia scilicet lividos habet oculos, quibus torve et maligne æmulum aspicit. Idem græce vocatur, βίβρανος, quasi τοὺς φάσαι καίνων, καὶ τοὺς βλέμματα φείρων, id est, oculis aspectuque fascinans, vexans, enecans. Invidia enim est quasi fascinatio, sive fascinum oculorum, quod sibi aliisque exitium affert.

Porro Ovidius, lib. II *Metamorph.*, graphice invidium et invidiam pingit dicens:

Pallor in ore sedet, macies in corpore tota,  
Nusquam recta acies.

Et post nonnulla:

Nec fruitur somno vigilantibus excita curis:  
Sed videt ingratos, intabescitque videndo  
Successus hominum, carpitque et carpitur una,  
Suppliciumque suum est.

Quocirca Ægyptii, alique mythologi invidiam et invidium repræsentarunt primo, per basiliscum: basiliscus enim, ut est apud Solinum et Ælianum, et qui eos compilavit, Majolium, ad funera terrarum natus, serpens prorsus exitialis, solo aspectu auras inficit, plantas urit, necat animalia, saxa ipsa dissolvit. Quod si se intueatur in speculo, repercusso in se halitu, propriis telis enecatur. Symbolum ergo est invidi et calumniatoris, qui cum maledicta in puram animam ejaculatur, suis ipse sagittis conficitur.

In caput auctoris sic redit omne scelus.  
Et cum pestifera torques convicia lingua  
In puros, proprio te jugulas gladio.

Secundo, per sirenes: ferunt enim sirenes sæviente tempestate quam suavissime canere; contra sereno cælo, et tranquillo mari tristes obmutescere. Invidos pari modo alienorum res adversæ vehementer oblectant, prosperæ contristant et dejiciunt. Unde Prosper, *De Vita contempl.* lib. III, cap. ix: « De bonorum malis, inquit, gaudent, de profectibus lugent, de inimicis gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent; semper amari nunquam certi amici diaboli, inimici etiam sui; omnibus odiosi, ad gaudenda anxii, ad plangenda læti; utrobique perversi. »

Tertio, per polypum: polypus enim cum aliis cibis pascitur (est enim edacissimus, et fraudem et insidias callidissimus), tum vero sua ipse membra conficit. Nam si venatio deficiat, brachia sua

ævorat, ac ventre sic saturato, inopiam venationis levat. Deinde renascitur ei quod deest, hoc tanquam promptum prandium ad famem restringendam comparante ipsi natura. Ita Ælianus, lib. I *De Anim.* cap. xviii. Similiter invidus aliorum invidens vitæ et fortunis, ipse tabe conficitur, sui interfecto. Unde Prosper, lib. III *De Vita contempl.* cap. v: « Invidi, ait, odia inter se abscondunt, et in suos cruciatus enutrient. »

Quarto, per palmam ranis obsessam: Plutarchus enim in libello *De Oraculorum silentio*, perhibet inter templi cujusdam a Cypselo consecrati donaria, extitisse palmam æneam, ad cujus radices insculptæ visebantur plurimæ ranæ, et natrix, quos hydros nominant. Sic virtus maledicorum infestis clamoribus lacessita, eos ex eminenti loco deridet, ad cælum velut palma luxuriosa ramorum propagine assurgens.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Quinto, per certas bestias et feras invidas, quæ docent invidiam non esse humanam, sed ferinam. Stellio enim, ut Theophrastus ait, simul atque senectutem, membranam hibernam exuit, eam vorans consumit, ob invidiam ex qua laborat adversus hominem, quod suam tuniculam plane scit contra comitiales morbos plurimum valere. Cervus item non inscius dextrum suum cornu magno usu hominibus esse, hoc ipsum, invidia flagrans, ne tanto bono homines fruuntur, in terra occultat. Equa pariter non ignorat se una cum pullo amoris veneficia parere. Idcirco simul atque editus pullus est, id agit, ut carneulam in pulli fronte innatam, nuncupatam hippomanes, voret. Similiter lynx urinam occultat teste Æliano, lib. VIII, cap. xxiii. Invidi similiter commoda aliis invident, quibus ipsi non utuntur. Porro Ælianus hæc omnia decerpit ex Theophrasto in tractat. *De Animalibus quæ dicuntur invidere*. Adde ex eodem vitulum marinum, qui cum captum se videt, coagulum vomit quod epilepticis auxiliatur; echinum quoque terrestrem, qui urina corrumpit corium. « Invidus, ait Isidorus, lib. X *Etymol.*, dictus ab invidendo felicitati alterius, invisus, odiosus, ab invidia et zelo dictus. »

Porro invidiæ remedium est animi constantia et celsitudo, ut omnem calumniam non tam dictis, quam factis heroicis confutes. Quocirca hoc adversus viros sapientes et claros potest invidia, quod adversus solem nebula: brevissimo tempore nocet, et eadem dissipata clariores radios sapientia et virtus exerit. Hoc est quod ait Valerius Flaccus, *Aragon.* lib. IV: « Iris contra nebula. »

Græca non habent suam, sed generatim sic: *Nequam oculus est invidio, avertit vultum et despiciat animas*, id est, homines hominumque vitas; Tigurina, *improbis aspectu est oculus invidi, avertit faciem, contemnit homines*. In oculis enim elucet

passiones animi, præsertim ira et invidia. Unde Plinius, lib. XI, cap. xxxvii: « Neque ulla, ait, ex parte majora animi indicia cunctis animalibus, sed homini maxime, id est, moderatis, clementiæ, misericordiæ, odii, amoris, tristitiæ, lætitiæ; contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes, limi, submissi, blandi. Profecto in oculis animus inhabitat; ardent, intenduntur, humectant, connivent; hinc illæ misericordiæ lacrymæ. Hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere. »

Hanc gnomen graphice apologo onagri et simiæ depingit Cyrillus, lib. II *Apologorum moral.* cap. xxix, cui titulus, *Contra invidos*: « Sereno cælo, inquit, ac lucido, cum per solitudinem simiæ satis læta discurreret, tristem jacentem onagræ inveniens, dixit illi: Quid tibi est, frater mi, quod tam lugubri contuitu ægroque vultu, livida facie et submisso capite tristis jaces? Indica mihi, rogo te; quia si quid languoris est in corpore, manu excipiam: si vero in corde, ratione seu compassione medelam exhibebo. Ad hæc quidem ille tantæ humilitatis oleo emollitus, mox sui vulneris arcanum patefecit, ac dixit: Ex aeris quippe, soror, tam pacata serenitate constringor: ejus enim serenitatis lucem oculis meis non ferentibus, in tempestatem mihi tranquillitas vertitur, et in nubem serenitatis commutatur; et e contra tempestas ipsius aeris in cordis pacem cedit, et obscuritas in serenum. Quibus cum stupore auditis, notans simiæ livoris vitium ipsius esse tormentum, exhortationis suæ anathematizanda ita cœpit officium. » Deinde eleganter invidiæ oculique invidi nequitiam pingens, ita eundem insectatur: « Maledictus sit talis oculus, qui turbatur in lumine, et in turbine delectatur; qui cum noctua vitalem lucem videre non patitur, sed in caligine illustratur; cui gaudium luctus, lux nebula, bonum malum; cui infelix est felicitas, et calamitas felix; cui adversitas prospera, et prosperitas adversa; cui amica miseria, et ipsa bonitas inimica. O perhorrendum, pestiferum ac perversum malum! Tunc demum convertens eloquium ad onagræm, dixit: Profecto bene silvestris es asinus, qui tecum talem esse pateris oculum, qui tui cordis sit juge patibulum, et boni ac omnium inimicus. Nam cum vitæ hujus decursus, nunc adversis, nunc prosperis rebus transigatur, si te quidem contra naturam res secundæ mœstificans, semper te præcinget tristitia, et calamitas non relinquet. Sic ergo livoris vitium, possessoris sui continuum est tormentum. » Mox pluribus a priori rationibus idipsum nervose clareque conficit dicens: « Verum eum odis invidentia quempiam propter bonum, jam principaliter ipsius hostis es boni; quoniam cujus gratia est unumquodque, at illud magis. Sed cum ipsum bonum sit Deus, a quo tanquam a suo fonte bonitatis vena manans in omnia derivatur, hinc sane convincitur, quod tu hostis dei

et boni sis, et tui ipsius ac omnium inimicus. Cæterum cum malitia bonitati sit contraria, vide quanta te depravavit malignitas, cui tota bonitas est adversa. Cum autem naturaliter similia quæque similibus delectentur, vide cujusmodi sis qui tempestate ac tenebris gaudes. Nisi enim corde nubilus et procellosus existeres, nequaquam te talia delectarent. Livor igitur interni turbinis gravis tempestas est mentis. Sed cum absque tranquillitate et luce nullum putetur bonum, nec delectabile, hinc te agnosce jam omni bonitate et delectatione privatum, quia paci ac lumini tam hostiliter adversaris. Denique loco epimythii sanum consilium suggerit: « Attamen si commune bonum intelligeres, et in unoquoque hoc ipsum benignius adamares, totum bonum tuum existeret, et tecum omnia possideres; quoniam dilectum bonum, quo gaudes, tuum est. »

Moraliter, discere hic quam nequam et maligna sit invidia. Vere Beda in *Proverbiis*: « Unde bonus proficit, inquit, inde invidus tabescit. » Seneca in *Proverbiis*: « Invidiam, inquit, ferre aut felix aut fortis potest. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. Si non invidias, major eris; nam qui invidet, minor est. Scis quid invidia est? dolor animi est ex alienis commodis. Scito enim illud, quia nulli invidetur nisi prædito bonitate. Invidia loquitur non quod est, sed quod subest. » Quocirca in Vita S. Paulæ de ea ait S. Hieronymus, quod ipsa armatura Dei, puta sententiis S. Scripturæ, « instruebat se contra invidiam sævientem, et patiendos injurias, furorem rabidi pectoris mitigabat. Denique usque ad diem mortis, et hujus patientia et aliorum zelus patuit, qui suum rodit auctorem, et dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bacchatur. »

Porro invidus est pusillanimis, et invidia est pusillanimitas, cujus signa physiognomica recenset Aristoteles in *Physiognom.* cap. ix: « Qui, inquit, oculos parvos habent, sunt pusillanimes; qui concavos, malefici, reducuntur ad simiam; qui eminentes, fatui; qui parum concavos, magnanimi, referuntur ad leones. » Et cap. vi: « Avari signa sunt: facie remissus, nigri coloris, macer; quæ sunt circa faciem, quasi abrasa; facies rugosa, non carnosus, recti crines et nigri. » Quocirca S. Bernardus, *De Inter. homo*, cap. xlii: « Invidia, ait, est anima tineæ: sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit, et cuncta bona ardore pestifero devorat. Invidus alienum bonum, suum facit invidendo peccatum. » Idem, *epist. ad Adam monach.*: « O quisquis es qui saluti invides alienæ, parcito vel tuæ. Si enim ubi invidia, ibi mors, infecto non potes simul et invidere et vivere. »

9. **INSATIABILIS OCULUS CUPIDI** (avari qui omnia cupit) **IN PARTE INIQUITATIS.** — Id est, insatiabilis est oculus avari in ea parte vel portione opum et rerum, quas inique et avare cupit et appetit; vel,

ut Lyranus, insatiabilis est ea parte quam injuste acquisivit. Unde Græca brevius et clarius habent: *Avari oculus non impletur parte*, id est, nulla opum parte satiatur; sed quo plures habet, eo plures habere appetit instar hydropici, qui quo plus bibit, eo plus sinit. Unde illud:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Quocirca apposite Diogenes Cynicus avaros comparabat hydropicis: sicut enim hi aqua, ita illi cupidine auri pleni distentique sunt: unde utrique amplius semper desiderant et sitiunt, sed in sui perniciem et exitium. Ita Stobæus, *serm.* 8. Alii avarum comparant serpenti qui græce dicitur dipsas, id est sitiens, eo quod suo morsu tantam in homine sitim excitet, ut nullis aquis expleri possit, sed misere in sua siti contabescat. « Dipsas, inquit Isidorus lib. XII, cap. iv, latine dicitur situla a siti: dipsades enim vocantur serpentes nocentissimi, eo quod morsu ab eis continuo inarescant. » Sic avarus inexplebiliter sitiit opes, et sitiendo contabescit. Hinc Tigurina clare vertit, *oculus avari nulla portione satiatur*, quia quidquid videt appetit; cumque plura et plura semper videat, hinc pariter plura et plura semper appetit: quare etiamsi omnia quæ videt possideret, non tamen satiaretur. Qua de causa avaritia a S. Joanne vocatur concupiscentia oculorum, *epist.* I, cap. n, 16. Hinc et Syrus vertit, *in oculis stulti* (qualis est avarus) *exigua est* (videtur) *pars sua*. Sequitur hujus insatiabilis avari et avaritiæ effectus, nimirum:

**NON SATIABITUR DONEC CONSUMAT AREFACIENS ANIMAM SUAM.** — id est, vitam et corpus suum. Sic enim *Numer.* ix, 10, et alibi per animam metonymice significatur corpus, quia corpus est quasi domus animæ, imo est ipsa materia quam anima quasi forma informat. Animam ergo et corpus consumit avarus continuis curis, desideriis, sollicitudinibus, nimisque cupidis et anxii cogitationibus, quibus extenuat, exsiccatur et arefacit tam corpus quam mentem et spiritum, ut res spirituales ei non sapiant, imo nulla res eum delectet nihilque ei libeat. Rursum consumit animam suam, id est seipsum totum, per synecdochen quæ frequens est Hebræis et Syris. Unde Syrus habet, *qui accipit id quod est proximi* (hæc est pars iniquitatis, quæ præcessit), *perdit animam suam*; Græca, *iniquitas maligna* (avari et cupidi) *desiccatur animam*; Tigurina, *injustitia mali exhaustam vitam ejus.*

Ubi nota avaritiam vocari *ôδύνην*, id est iniquitatem et injustitiam; primo quia iniquum est quod homo tam nobilis adeo ardenter amat opes et res terrenas, eisque suam mentem et cor affigat; secundo, quia avaritia stimulat avarum ad fraudes, usuras aliosque iniquos contentus, turpis lucri causa ineundos; tertio, quia Deus operum plurimum iniquis largitur, ut Mauris, *Judeis, usurariis*: *quarto*, quia opes vix sine

parantur et servantur, præsertim in tanta turba indigentium et pauperum; quinto, quia Christus, *Lucæ* vi, 24, divitibus vix intendat: « Væ, inquit, vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. » Denique ad dexteram judicis Christi sunt mala temporalia et bona spiritalia: ad sinistram vero, scilicet in parte iniquitatis, sunt mala spiritalia, et ut plurimum bona temporalia, *Matth.* cap. xxv.

Est hæc quinta avarorum vanitas, quod seipsos sua avaritia arefaciant, exhauriant et consumant. O tormentum! exclamat Paladius. Sitis? aquam præsentem habes, et bibere non audes. Esuris? prandium habes, et te non pascis. Lætitiam habes in mensa præsentem, et inde tristitiam edis; ne detrahas pecuniæ, detrahis ventri et animæ tuæ.

Tropologie Rabanus explicat sic, *q. d.* « Avarus sine fructu bonorum operum consumit vitam suam, et sterilem animam perpetuis ignibus gehennæ tradit exurciendam. » Nervosius S. Augustinus in *Psal.* cxxviii, docet avaritiam duriora imperare avaro quam jubeat Deus: « Dura, inquit, jubet, levius jubeo (ego Deus); onus ejus grave, sarcina mea levis est; jugum ejus asperum est, jugum meum leve est: noli velle ab avaritia possideri. » Et mox idipsum probans exemplis: « Jubet, inquit, avaritia ut mare transeas, et obtemperas; jubet ut te ventis procellisque committas: jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi; piger es ad faciendum ante te opus bonum, et strenuus es ad transeundum mare: quia avaritia imperat, servis; quia Deus jubet, odisti. »

10. **OCULUS MALUS AD MALA, ET NON SATIABITUR PANEM, SED INDIGENS, ET IN TRISTITIA ERIT SUPER MENSAM SUAM.** — *q. d.* Oculus malignus et lividus avari ad mala et injusta intentus est, puta ad fraudes, usuras cæterasque injustitias et peccata, quibus opes suas angeat. Idem non audet ventrem satiari pane, id est, cibo suo, sed indigens et tristis est etiam in mensa sua. Cum enim alii in mensa omnes curas et mœrores deponant, seque cibo et vino recreantes, sint læti et hilares; solus avarus in mensa sua indiget et esurit, ideoque tristatur et dolet, tum ob suam esuriam, tum eo quod domestici et convivæ ejus plus comedant et consumant, quam ejus avaritia patitur. Græca de more brevius sic habent, *malignus oculus invidus est in pane, et deficiens in mensa sua.* Ubi nota: Pro deficiens, Complutenses legunt *ὀδύνην*, id est, ut Noster vertit, *indigens*; alii legunt, *ἐν δίπῃ*, vel *ὀδύνην*, id est *in tristitia*, vel *tristis*. Noster utrumque legit: unde vertit, *indigens et in tristitia erit*. Hæc enim duo sunt connexa, et indigentiam naturaliter tristitia consequitur. Tigurina vertit, *oculus malignus panem invidet* (sibi, suisque domesticis et convivis), *et ad mensam suam laborat inopia*; aliter Syrus, *oculus malus*, inquit, *multiplicat panem, et siccum projicit super mensam*, *q. d.* Avarus ut parcat carni aliisque cibis pretiosis, siccos panes

suis apponit, imo tetricè projicit in mensam, sicut canibus projiciuntur ossa: vult ergo ventres suorum explere et saturare pane, eoque vili et atro, ne cibos majoris pretii comedant et consumant. Porro oculo avari, ait Jansenius, tribuitur non satiari pane, esse indigum et in tristitia, quia per concupiscentiam et invidiam ex aspectu oculorum excitatam, hæc sunt in avaro. Igitur *oculus malus*, id est malignus et maleficus avari, totus fertur ad mala, id est, maligna, aværa, maleficia, puta ad avaritiam, et malignam parcimoniam, qua se et alios victu et vestitu congruo defraudat, ad avaras et malignas fraudes, dolos, contractus, etc.

*Sexta* est hæc vanitas, imo malignitas avaritiæ.

Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirk Avoth*, id est, in *Sententiis Patrum*: « Tria hæc quæ sequuntur, hominem verum Abrahamæ patris nostri discipulum ac sectatorem reddunt: oculus benevolus, animus lenis ac mansuetus, parvo esse contentum: qui secus facit, imitatur ac dicitur filius atque discipulus impij Balaam et iniqui pseudo-prophetæ, scilicet oculus malus aut invidus, animus altus et arrogans, et cor insatiabile: hæc sunt notæ discipulorum Balaam. »

11. **FILI, SI HABES** (Græce *καθὼς ἐὰν ἔχῃς*, id est, sicut habueris, quoad habueris) **BENEFAC TECUM** (tibi), **ET DEO DIGNAS OBLATIONES OFFER.** — Tigurina, *pro eo quod habes, fili, bene de te merere dignaque defer Domino donaria*; Syrus, *si habes, fili mi, ministra animæ tuæ* (tibi ipsi); *et si habes, benefac tibi.* Est conclusio: ex dictis enim de avaritiæ damnis, colligit et concludit ut quisque opibus sibi a Deo datis utatur commode, iisque sibi benefaciat honeste vivendo; deinde ut ex iisdem Deo in laudem et gratiarum actionem dignas oblationes offerat, puta dando victimas Deo, ac decimas et primitias in alimoniam sacerdotum, cæterorumque Dei ministrorum. *Dignas* vocat meliores, et liberales, ac largas: tales enim debentur Deo creatori, et datori omnium. Unde tales legi veteri Judæis præscriptæ erant *Num.* xviii, 29: « Omnia, inquit, quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt. »

Moraliter, dum vivis, benefac animæ tuæ conservando bona opera et merita, quibus vivas in æternum. Hoc autem facies, omnia opera tua, etiam indifferentia, referendo ad Dei gloriam, Deoque offerendo. Nam mors instat, post quam non poteris operari, nec mereri, juxta illud: « Miserere animæ tuæ placens Deo, » *Eccli.* cap. xxx, 24; et illud Pauli: « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, » *Galat.* vi, 10.

Egregias hac de re parabolas duas recenset Damascenus in *Historia Barlaam et Josephat*, cap. xiii et xiv. Rationem dat Rabanus: « Quia breve, inquit, est hujus vitæ spatium, in quo licet operari. Finis autem universorum appropinquat, quando jam non est tempus operandi, sed singulos quosque juxta meritum suum remunerandi.

Unde Christus: Operamini, dum dies est: venit enim nox, quando jam non licet operari, *Joan. ix, 4*: Hic tempus est bene faciendi, illic autem mercedem accipiendi: hic tempus laboris, illic requiei: hic hora seminandi, illic fructus metendi. Unde et per Paulum dicitur: Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Et alibi: Qui parce (inquit) seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, metet vitam æternam; hilarem enim datorem diligit Deus. Hinc et in Proverbiis Sapientia admonet dicens: Usquequo, piger, dormis? quando consurges a somno tuo? Paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe uget a te. Mundus enim transit, et concupiscen-

## SECUNDA PARS CAPITIS.

### DE MEMORIA MORTIS QUÆ STIMULUS EST AD BENEFICENTIAM.

12. MEMOR ESTO QUONIAM MORS NON TARDAT, ET TESTAMENTUM INFERORUM, QUIA (Jansenius, Rabanus et Dionysius legunt quod) DEMONSTRATUM EST TIBI; TESTAMENTUM ENIM HUIUS MUNDI, MORTE MORIETUR. — Perperam aliqui apud Franciscum Lucam legunt mortem operatur, hoc est, certo, omnino et cito morietur: hoc enim significat illa mortis iteratio. Ita Lyranus. Probat quod dixit: « rih, si habes, benefac tecum (tibi), et Deo dignas oblationes offer, » ex vicinia mortis instantis, *q. d.* Noli hic avaræ coacervare divitias quasi perpetuo hic victurus, sed eis utere ad tuum usum et Dei gloriam, quia mors et post eam descensus ad inferos tibi instat, in qua opes tanto labore coacervatas hic relinquere debebis, nec eis amplius uti, nullique ex eis benefacere poteris. Dum ergo breve hoc vitæ tempus tibi suppetit, eis utere, ut eis tibi aliisque benefacias, Deoque dignas oblationes offeras. Sic enim mereberis amplam mercedem et gloriam tam apud Deum, quam apud homines. Ita Rabanus, Lyranus, Jansenius et alii.

Est ergo hæc septima ratio demonstrans insanam vanitatem avarorum, qui omnia coacervant, nec ulli, ne sibi quidem benefaciunt, cum omnia brevi in morte ingratæ et prodigis hæredibus sint relicturi. Græca hæc tantum habent, *memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum* (vel pactum) *inferorum non est ostensum tibi*. Quod clarius explicat Tigurina, *memento mortem moram non facere, nec tibi fatum fati* (mortis tempus) *esse declaratum, q. d.* Memento mortem certam tibi imminere, sed ejus diem et horam tibi esse incertam. Igitur semper per bona opera ad eam te præpara et dispone, ne illa te imparatum inve-

tia ejus: justi autem in perpetuum vivunt, et apud Dominum est merces eorum. »

Citat hanc gnomen Urbanus IV Pontifex in *Psal. l.* (exstat tomo I *Biblioth. SS. Patrum*), ad illa: « Tunc acceptabis sacrificium, oblationes, » id est eleemosynam, inquit. Unde subdit: « Tu, Deus, non respicis in oblationibus iniquorum, sed illas oblationes dignas reputas et acceptas, quæ fiunt de substantia illa bona, cujus non est peccatum in conscientia; et has a me oblationes per Sapientem requiris dicens: Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas offer oblationes et holocausta: mea scilicet, hoc est, non solum de meo, sed de me toto facta. Nam hæc illa esse intelligo holocausta, de quibus tu, Domine, mihi dicis: Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. » Alludit ad holocaustum Christi in sacrificio Missæ.

niat et præoccupet. Syrus, *memento quod hæcenus mortem non vidisti, et condemnatio ad inferos non est ostensa tibi, q. d.* Quia non vidisti mortem, nec inferos, hinc ea non apprehendis, non æstimas; at brevi ea videbis, tunc ea æstimabis, serioque, sed sero dolebis, quod ad ea per eleemosynam, bona opera et oblationes Deo factas te non comparaveris. Noster legit affirmative sine negatione non, aut certe legit interrogative, hoc modo: « Et testamentum inferorum non, vel nonne ostensum est tibi? » *q. d.* Omnino tibi ostensum est. « Testamentum enim hujus mundi est, morte morietur, » *q. d.* Certa tibi est mors, quia testamentum, id est, dispositio et decretum Dei de quolibet homine et vivente terreno est, quod morte morietur, *q. d.* Deus omnes addixit morti, ergo omnibus certo moriendum est; illudque tibi ostensum est, imo in dies oculis tuis ostenditur, dum quotidie vides nunc hunc, nunc illum mori, nemine excepto.

Quæres quodnam sit «testamentum inferorum?» Respondeo, est decretum mortis et inferni, latum a Deo in Adam peccantem, omnesque ejus posteros, *Genes. ii, 17, et cap. iii, 19*. Dicitur *inferorum*, quia tempore Siracidis ante Christum omnes, etiam Sancti, plene a peccatis expiati, post mortem descendebant ad inferos: et limbum patrum, expectantes Christum, qui pro peccatis satisfaciens cælum aperiret, eosque inde liberaret, et in cælum deduceret. Testamentum enim in Scriptura vocatur quodlibet pactum, decretum, dispositio, ordinatio. Græcum enim *διαθήκη* derivatur a *διατίθημι*, id est, dispono, moderor, guberno, constituo. Unde Tigurina vertit vers. 18, *fatum avi-*

est, morte morieris. Hoc ergo nobis est tatum fati, id est, mortis certum et irrevocabile decretum. Illud esse patet ex ratione quam subdit: « Testamentum enim hujus mundi, morte morietur, » scilicet, omnis Adæ filius, *q. d.* « Testamentum inferorum, » id est, decretum Dei, ut omnes moriantur et descendant ad inferos, est ipsum testamentum sive decretum moriendi, omnibus impositum, juxta illud *Hebr. ix, 27*: « Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. » Alludit, imo citat *Genes. ii, 17*: « In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. » Hoc testamentum et decretum moriendi et descendendi ad inferos, demonstratum est tibi, tum e Scriptura *Genes. ii et v*, tum ex sententiis Prophetarum et Sanctorum, tum ex communi experientia, quæ ostendit omnes mori. Sed audi nostrum Delrio, *Adag. 297*: « Volunt quidam nihil aliud dici, quam unicuique moriendum, et cunctis mortis falce imminere. Ad Arcton nata expositio, friget conglaciata. Præstat testamentum inferorum exponere legem a Domino latam mortalibus, ut ad Christi adventum usque, omnes ad inferos descenderent. Sic Rabanus et Carensis. Vocatur testamentum, quia hanc hæreditariam successione nobis protoplastus peccando commeritam moriendo delegavit. Mors invidia diaboli in orbem introivit: ideo necessitas illa mortuis imposita ad Plutonis regiam descendendi, recte dicebatur inferni testamentum, hoc est, hæreditas et successio lege delata quam, vellent nollent, cernere et adire cogebantur. Miseram cretionem! »

Nota: Hæc verba, *testamentum hujus mundi, morte morietur*, non sunt in Græco hoc loco, sed vers. 18, ubi pro mundi est *αἰῶνος*, id est sæculi, *q. d.* Sæculare et perpetuum est hoc mortis testamentum, sicut non ad unam gentem, sed ad omnes; sic pariter non ad unum sæculum, sed ad omnia omnino se extendit.

Porro certa unicuique est mors, sed incerta ejus dies et hora. Stimulus ergo ingens ad omnem virtutem est hic, quo olim se Ascetæ nonnulli, dum invicem occurrerent, consalutabant, ut jugem sibi mortis memoriam imprimerent: « Moriendum est, nescimus quando. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, homil. 23 in *Acta Apost.*, « idcirco incertum voluit Deus esse quanto tempore duraturi simus, ut expectatione incerta virtutem amplexemar semper. Et S. Ambrosius in *Psal. cxviii*, serm. 19: « Quid potest, inquit, habere laudis, si effortum corpus voluptatibus, et jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam viventis vigore, convertat? »

Cogita ergo, o mortalis, hoc tuum esse testamentum, hanc tuam esse sententiam, hoc Dei de te decretum certum et immutabile: « Morte morietur Petrus. » Id liquet *Genes. v*, ubi recensitis annis 900 vitæ Adæ, Seth, Lameth, Noe, etc., singulis subdit: « Et mortuus est. » Dicitur *testa-*

muntum mundi, quia pertinet ad mundum nunc sublenarem, et omnia viventia, quæ in eo sunt *q. d.* dispositio Dei de mundo et omnibus qui in eo vivunt: Moriatur homo et omne vivens, quod in mundo vivit. Sicut ergo in communi reorum judicio, v. g. in tribunali sanctæ Inquisitionis, dicitur ferturque sententia: Hic reus, v. g. Petrus, plectatur capite, Paulus suspendatur, Joannes comburatur, etc., ita hic datur testamentum, id est, decretum et sententia mortis in omnes omnino homines, dicendo: Morte morietur; nec tantum in omnes homines, sed et in omnia animalia, omneque vivens, imo in omnes res mundi, *q. d.* Testamentum mundi, id est, omnium mundanorum, puta hominum cæterorumque viventium in mundo, est: « Morte morietur; » imo idem est et rerum inanimatarum quæ in mundo sunt; his enim dicitur: Morte naturali morietur, id est, intereat et desinat esse. Ex adverso testamentum cæli est: « Non morietur, » sed immortalis et beatus durabit in omnem æternitatem. Et testamentum inferni est: Non morietur damnatus in igne. « Vermis enim eorum non moritur, et ignis non exstinguitur, » *Isaiæ cap. ult.*

Perperam ergo aliqui sic exponunt, *q. d.* Omne testamentum quod in mundo ab hominibus morientibus conditur, omnisque hæreditas per illud filiis posterisque relicta, morte morietur, hoc est, in morte deficiet, transibitque ad alios. Perperam quoque Palacius: Testamentum, inquit, inferorum est, quod humana natura peccando in primo parente pepigit, atque promisit se morte morituram, ac ideo in infernum descensuram. Testamentum hujus mundi est pactum quod cum mundo fecimus. Sicut enim *Isaiæ xxviii, 15*, impii percutiunt *fœdus cum peccato et morte*, quo promittunt illi servire, et eo frui: sic nos velut promittimus longa vita nostra mundo frui, atque illi servire. At auctor dicit hoc testamentum non in æternum duraturum, sed citius quam velint moriturum. Ergo benefac antequam finiatur. Hæc ille, mystice potius quam ad litteram.

Siracidi succinunt sapientes omnes, Hebræi, Arabes, Græci, Latini, Persæ, Egyptii, Syri. Hebræi, ut Ben-Sira: « Dies brevis, inquit, et opus multum, » *q. d.* Mors instat, et tamen grandis restat nobis via in cælum. Festinemus igitur progredi in via virtutis, et merita meritis accumulare. Similiter de arte medendi dixit Hippocrates: « Ars longa, vita brevis. » Sic in lib. *Avoth* dicit R. Simon: « Dies brevis, et opus multum, et operarii pigri, et merces copiosa, et paterfamilias urget. »

Arabes, *Centur. 2, num. 13*: « Opera et mundus, inquit, transibunt, et durabunt opera bona. » Et num. 16: « Mors consumpsit eum qui discessit, et mors consumet eum qui remanet. » Et num. 46: « Cogita ingressum tuum in hunc mundum, et egressum tuum ex ipso, quia tu de nihilo factus es homo, et momento fies tanquam non fueris. »

Item considera qui fuerint ante te, reges, praefecti et nobiles; considera quomodo migrarunt ex isto mundo, tu vero sicut illi migrabis.»

Græci. S. Gregorius Nazianzenus in *Distichis*: « Mortem, inquit, velut praesentem semper tibi ob oculos pone; ita enim fiet ut, cum ipsi occurrendum erit, superior existas. » Idem Nazianzenus in *Monostichis* suum rectae vitae Alphabetum ita orditur:

Ἀρχὴν ἀπαντῶν καὶ τέλος ποιῶν Θεόν,  
Agendorum principium et finem constitue Deum.  
βίον τὸ κερδοῦς, ἐκδιούν καθ' ἡμέραν,  
Vitae lucrum sit, quotidie vita excedere et mori.  
Cognoscere hominum facta egregiorum stude.  
Lucerna sit ratio vitae tibi totius.  
Quaecumque dat Deus, animo grato accipe.  
Procella cursu timeri debet prospero.  
Vir magnus esse potes frenans petulantiam.  
Praestat animum quam caetera offerri Deo.

Idem in *Distichis*: « Ossa nuda spectata nos admonent, ne quid hujus vitae nobis proprium ac certum esse credamus. » Et mox: « Rota est incerte fixa, brevis haec et multiplex vita: sursum movetur, ac deorsum trahitur; fugiens tenetur, et manus effugit; saltat plerumque, nec tamen fugere potest; stationem suam motu trahit ac retrahit; fumus est, insomnium, et flos herbæ. » Plato in *Phaedone*: « Philosophia, ait, est mortis cogitatio, id est, ut sapientiae studiosus animum a corporis sensibus revocet, et ab illius communiōne liberum immunemque reddat, illius cupiditatibus repudiatis, quae nimirum est mortis definitio, solutio et separatio a corpore. »

Latini: Seneca in *Proverbiis*: « Homo, inquit, vitae commodatus, non donatus est. Vita omnis brevis est, ideo immortalitas est mors honesta; » Cicero: « Exiguum nobis vitae curriculum natura circumscipit, gloriae immensum. » Virgilius X *Aeneid.*:

Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus  
Omnibus est vitae.

Seneca in *Hercul. furente*:

Certo veniant ordine Parca:  
Nulli jusso cessare licet,  
Nulli scriptum proferre diem.  
Recipit populos urna citatos.

Et:

Prima quae vitam dedit hora, carpsit.

oratus lib. II *Carmin.*:

Omnes eodem cogimur, omnium  
Versatur urna, serius, ocius  
Sors exitura, et nos in aeternum  
Exilium impositura cymbae.

S. Hieronymus, epistola ad *Cyprianam*: « Nihil, inquit, ita decipit humanum genus, quam quod

dum ignorant spatia vitae suae, longiorem sibi saeculi hujus possessionem repromittunt. Unde et illud egregie dictum est: Nullum tam senem esse, et sic decrepita aetate, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur. Ad hunc sensum pertinet et illud quod dicitur: Memorare mortis tuae, et non peccabis; qui enim se recordatur quotidie moriturum, contemnit praesentia, et ad futura festinat. »

Persae. Nam, ut ait S. Hieronymus, epist. 3 ad *Heliodorum* in Epitaphio Nepotiani: « Xerxes, inquit, ille rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cum e sublimi loco infinitam hominum multitudinem et innumerabilem vidisset exercitum, flevisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. Oh! si possemus, addit Hieronymus, in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, et regnis regna collisa; et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos! »

Aegyptii. Inter apophthegmata Sanctorum Patrum Aegyptiorum, quae habentur in fine Vitarum Patrum, recensentur haec num. 94: « Homo habens mortem praee oculis, omni hora vincit pusillanimitatem. » Et numer. 97, dixit senex: « Ego tres res timeo, id est, cum anima egressura est de corpore, et cum in praesentiam Dei venturus sum, et cum sententia contra me data fuerit. » Et in fine inter septem documenta Abbatis Moysis sextum recensetur: « Debet homo, priusquam exeat de corpore, mundare seipsum ab omni inquinamento carnis et spiritus. » S. Antonius moriens suis praescripsit ut mane quotidie cogitent illum diem forte sibi fore ultimum, itaque omnes actus illo die quisque obeat atque si essent futuri ultimi, ipseque illo die certo esset moriturus. Simili modo e Societate nostra P. Joannes Maldonatus quotidie quinquies mortis memoriam, imo praesentiam, sibi ob oculos ponebat, indagabatque num quid esset in conscientia, quod in hora mortis eum angere vel affligere posset, et, si quid reperisset, illico per comessionem, vel eo modo quo conveniebat, illud tollebat; itaque stabat semper in procinctu singulis horis paratus ad mortem, juxta monitum Christi: « Vigilate et orate, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. »

Syri. Climachus: « Sanctus, ait, est, qui non timet mortem; perfectus, qui eam desiderat. » Illustris mortis apologus exstat apud Damascenum in *Histor. Barlaam et Josaphat*, cap. XII: Rhinoceros, inquit, insequitur hominem; fugit homo, et fugiens in scrobem labitur, labensque amplectitur arbusculam; sed hanc assidue rodunt mures duo, albus unus, ater alter: subitus est ingens barathrum, in quo draco et serpentes fau-

ces exerunt, ut hominem ab arbore pendulum exrosa arbore deglutiant. Homo, videns mellis aliquid ex arbore stillans, melli incubat, periculum omnium oblitus; interim corroditur arbor a muribus, ruit homo in barathrum, ibique a dracone devoratur. Rhinoceros est mors quae hominem assidue insequitur, fugit homo labiturque in scrobem, puta in mundum hunc, ubi arborem, id est, vitam praesentem, amplectitur; sed hanc jugiter duo mures, puta dies et nox, corroduunt; infra eam est barathrum gehennae, in quo draco diabolus cum suis demonibus hominem exspectat; ille videns mel, id est, voluptates hujus vitae illis inhiat securus, donec vita a revolutione dierum et noctium consumpta, homo per mortem labatur in gehennam, ibique praeda fiat demonum.

S. Ephrem Syrus, tract. *De Beatitudine*: « Beatus, inquit, qui assidue animo suo versat diem ex hac vita discessus, studetque sedulo paratus et intrepidus hora illa inveniri. Beatus, quicumque in hora illa emigrationis, quando cum timore et dolore anima separabitur a corpore, fiduciam repererit. Beatus, qui praesentem hanc vitam odit ac deserit, et in solo Deo omnis meditatio vitae suae est. » Idem, tract. *De Morte*: « Vita haec nihil aliud est quam perpetua quaedam via ad mortem, et velut quoddam iter aetatibus, quasi stationibus quibusdam, interstinctum. » Et mox: « Viator, o homo, es in hac vita; omnia praeteris, omnia a tergo relinquis. »

Moraliter, disce hic quotidie memor esse mortis, et quotidie mori, ut ad eam te disponas et aptes:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,

Fuit hic mos veterum. Damascenus, in *Hist. Barlaam et Josaphat*, testatur priscos Sanctorum reliquias religiose in theca ex collo pendente gestasse, non tantum venerationis, sed et memoriae mortis causa. « S. Joannes Eleemosynarius, ait Leontius in ejus Vita, sepulcrum sibi effodit, ac quotidie a famulo moneri volebat de sepulcro, nempe parari illud, paulatimque perfici, ut hoc pacto per memoriam mortis, vitae melioris desideria vir sanctissimus acueret. » Imo etiam de Philippo Macedonum rege refertur, « monitorem sibi in magna fortuna statuisse, qui quotidie mane sibi inelamaret, hominem eum esse, quo scilicet tumidiore animos comprimeret, et fortunae inconstantiam caeterasque vitae humanae miseriae animo quotidie praeciperet, et ad eas se compararet. O quantum hic ruboris incutiet Christiano in die judicii! Quotidie ergo, dum incumbis, cogita an paratus sis mori: lectus enim nos merito commonet sepulcri, uti mortis imago somnus esse dicitur. Itaque incumbere, tanquam si ad judicium ea nocte rapiendus fores, et salutem contritionem cum actu fidei, spei et charitatis, et gratiarum actionis excita; vota, si Reli-

giosus sis, renova; atque ita in pace in idipsum dormias et requiescas, » ait noster Auctor Vitae. Quin et S. Ambrosius, lib. IV, epist. 29 ad *Florianum*: « Toto animo, inquit, odi et damna quod diligit mundus. Tanquam mortuus, a labe et affectu illius te separa; sicut sepultus, nil habeas curam de saeculo; tanquam defunctus, omni terreno te abdicata negotio. Contemne vivens quae post mortem habere non poteris. »

Vide nostrum Alfonso Rodriguez *De Perfectione*, tomo I, tract. 2, cap. v, ubi docet efficax medium ad perfectionem esse, si quis ita vivat quasi quotidie moriturus, et si ita exacte quodlibet opus faciat, ac si illud futurum sit vitae suae ultimum. Vide et Climachum, gradu 6, ubi inter alia refert Anachoretam quemdam a morte suscitatum cellae se inclusisse, ac per annos duodecim nulli locutum fuisse, nec aliud quam panem et aquam degustasse, sed quasi attonitum assidue vim lacrymarum profundisse; ac sub mortem rogatum causam dixisse: « Nemo qui revera mortis memoriam agnoverit, peccare unquam poterit. » Memorat et alium qui dixit: « Non est praesentem diem pie pertransire, nisi hanc esse ultimam vitam nostram existimemus. »

13. ANTE MORTEM BENEFAC AMICO TUO, ET SECUNDUM VIRES (Græce ἰσχυρῶς, id est virtutem, potestatem, facultates) TUAS EXPORRIGENS DA PAUPERI. — Græca jam non habent τὸ pauperi; sic enim habent, antequam moriaris, benefac amico, et pro viribus tuis extende manum tuam, et da illi. Sic et Syrus, priusquam moriaris, benefac amico tuo, et quidquid petit a te, da illi; Tigurina, priusquam moriaris, in amicum esto beneficus, et pro eo quod potes, manum illi dando porrige. Noster ergo antiquius et plenius habuit exemplar Græcum, in quo erat τὸ pauperi. Scriptura enim ubique commendat elemosynam in pauperes, in eamque jubet expendi opes a Deo datas. Sensus ergo est, g. d. Ante mortem benefac amico, praesertim pauperi, in eumque liberaliter plenas manus exporrigere, largas ei dando elemosynas. Per amicum Lyranus accipit quemvis proximum: hic enim ex charitate amandus est; et sic accipitur amicus *Levit.* XIX, 18.

Est hic tertius usus divitiarum: versus enim 11 duos assignavit, dicendo scilicet, primum: Benefac tibi; secundum: Offer Deo oblationes; hic tertium assignat, scilicet, ut et aliis amicis, praesertim pauperibus, benefaciamus. Huic consonat proverbium Arabicum, *Cent.* 1, num. 44: « Accende lucernam tuam ante tenebras, id est, illumina te operibus bonis, antequam superveniat tibi mors. » Et *Centur.* 2, num. 41 et 44: « Operare bona, quotiescumque potes, domesticis tuis et extraneis, et bona verba loquere, tam bonis quam malis. Provide animae tuae bona in operibus bonis. »

Nota τὸ ante mortem: non vetat, in morte, testamento relinqui legata in pios usus et alimoniam